

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 4 (Si dolendo
miror et mirando doleo...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Pretio, 1229?-1269

*PdP Epistola 4 (Si dolendo
miror et mirando doleo...)*

1248

Si dolendo miror et mirando doleo, non est mirum, cum dolor mirabilis et miracio dolorosa pluribus ex causis meis in visceribus congerantur. Audivi enim iam diu per plures de curia redeuntes, quod de liberatione mea ibidem cum deliberatione provisum extitaret per exeontrum mihi liberaliter concedendum nec merui dudum, ve mihi, aput aliquem dominum vel amicum, quod veritatis seriem mihi inde scribere dignaretur. Ex alia parte accedit etiam ad meum cor de iniusta Fortuna insta turbatio, cum pecunie mihi non subsit subsidium et iam per quadrimestrem temporis lapsum nihil habuerim expendendum, propter quod meum corpus, eo deficiente, qui carceris asperitatem lenire multis mitigacionibus consuevit, acerbe famis stimulo frequenter afficitur et urgenti frigore continuo conquassatur. O dolor, o nephas, o infelix condicio captivorum, qui pro abiectis et perditis ab omnibus desperantur. Certe, si sanum ab hiis non avertitis intellectum, si meritorum nostrorum pensabitis quantitatem, si cor vestrum monebitur ad censuram secundum veram regulam equitatis, non defectum meum profecto, sed infortunium pocius inde iudicabitis arguendum. Non tamen inde contra vos, domine, invehor, quibus in nullo servivi prorsus, utinam servivissem, cum enim a vobis inmeritus per solam gratiam vestram beneficia tanta receperim, quod, si forte servicia processissent, supplicare vobis audeo ipsa necessitatis instantia suggerente, ad quod eciam audacius me invitat vestra benignitas graciosas, quam specialiter vobis innata geritis erga omnes, ut, cum in vobis solis habeatur anchora spei mee, per fluctuantes procellas me non paciamini naufragari. Porrigite mihi, domine, porrigite eciam salutiferas manus vestras et vestrum Petrum de Precio de precipicio revocate. Ego

autem, cui nihil preter solum animum sinistra Fortuna reliquit hoc, quod mihi et ceteris superest, vobis spontaneus offero, quod, ut vobis ex toto sterilis non existat, quod ex uberiori parte carcerem sequeretur, quam vobis ad presens polliceor, licet possibilitas dandi desit vestra interest ad liberationem ipsius vestram potenciam exercere, ut animo postmodum et persona velut re propria simul utamini iuxta quod placidius et vobis.